



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De episcopo qui alium sine sua voluntate episcopum ordinauerat. xxix.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BVRCHAR DI EPIS. VVORMAC.

dinatum. Si autem non minus quam à tribus apostolis tatus vir fuit ordinatus, patet profecto, eos formam insti-
tuente domino tradidisse, non minus quam à tribus epi-
scopis, episcopum ordinari debere. sed crescente numero
episcoporum, nisi necessitas interuenierit, debent etiā plu-
res augeri. Si autem archiepiscopus obierit, & alter ordi-
nandus archiepiscopus fuerit, omnes eiusdem prouinciae
episcopi ad sedem metropolitanam conueniant, vt ab om-
nibus ipse eligatur & ordinetur. Oportet autē vt ipse qui
illis omnibus præesse debet, ab omnibus illis eligatur &
ordinetur. Reliqui verò comprouinciales episcopi, si ne-
cessere fuerit, ceteris cōsentientibus, à tribus iussu archiepi-
scopi cōsecreari possunt episcopi, sed melius est si ipse cum
omnibus eum qui dignus est, elegerit, & cuncti pariter
consecrauerint pontificem. Et licet illud necessitate co-
gente concessum sit, illud autem quod de archiepiscopi
consecratione præceptum atque prædictum est, id est, vt
omnes suffraganei eum ordinent, nullatenus immutari
licet, quia qui illis præest, ab omnibus episcopis quibus
præest, debet constitui. Sin aliter præsumptum fuerit, viri-
bus carere non dubium est, quia irrita erit eius secus acta
ordinatio.

*De episcopo qui alium sine sua voluntate episcopum
ordinauerat. Cap. XXIX.*

*Ex epist. Simplicij papæ mis-
sa Ioanni Rahena-
ti episco. cap. I.* **S**i quis esset intuitus ad normam ecclesiasticæ discipli-
næ, vel si quid apud te sacerdotalis modestiæ teneretur,
nunquam plecibiles perpetrarentur excessus. A quibus
si nullo te paternarum regularum poteras continere præ-
cepto, saltē sanctæ memorię prædecessor isti tui fueras re-
uocandus exemplo, qui cūm faciendo presbyterum minus
deliqueris in uitum, senserat tamen dignum pro tali usur-
patione iudicium. Vbi ista didicisti, quæ in fratre & coepi-
scopum nostrum Gregorium, non electione, sed inuidia
perpetrasti, quem inexcusabili violentia pertrahi ad te
passus es, atque vexari, vt ei honorem tantum, non per
animi tranquillitatem sed per amentiam, sicut dicendum
est, irrogares? Neque enim talia potuissent fieri, sanitate
consilij. Nolumus exaggerare quod gestum est, ne cog-
inur iudicare quod dignum est. Nam priuilegium mere-
tur amittere, qui permitta sibi abutitur potestate.